

nostrā venditio perpetuæ robur optineat firmitatis, præsentibus litteris sigillum nostrum et Majorum Regni sigilla duximus apponenda. Actum in orientali Arusia Anno domini. M.CC.LXXVI. in die Beati Matthæi Apostoli. Anno Regni nostri secundo.

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

619.

1277.

Wexiö.

Kon. WALDEMARS bekræftelse på Lybecks borgare förunte handelsprivilegier.

K. v. 108.

Omnibus presentes litteras inspecturis WOLDEMARVS Dei gracia Rex Sweorum in omnium salvatore salutem eternam. Tenore presentium constare volumus universis, quod nos civibus Lubecensibus ad regni nostri limites navigio venientibus & vecturis exemplo tam bone memorie patris nostri Birgeri quondam Ducis, quam adfectione propria, quam ad ipsos exigentibus eorum meritis habemus & habere per Dei gratiam perpetuo volumus provocati, libertates & privilegia per memoratum dominum ducem patrem nostrum eis in vita sua concessa post mortem eius de novo tam super theloneo quam super rebus naufragii, quam diu dicti cives eas per se vel alios extrahere seu salvare poterint & voluerint non tollendis sepedictis civibus concedimus & habenda in posterum presentibus litteris sigilli nostri roboratis munimine confirmamus. Datum Wexio Anno Domini millesimo ducentesimo LXXVII.

620.

1277.

Ärkedjäkn. BENGT'S i Linköping bref på Berga till Upsala Domkyrka såsom pant för låntagna 400 mark.

A. 3. a. 1: 14.

Vniuersis presentes litteras inspecturis. Benedictus byrgeri quondam ducis Sueorum filius archidiaconus ecclesie lincopensis. Salutem in domino. Notum esse uolumus vniuersis. quod nos curiam nostram berghir obligamus & inpignoramus ecclesie vpsalensi pro quatrings Marcis denariorum vsualis monete, sub hac condicione quod nos & illustris dominus noster. M. Rex Sweorum liberam habeamus facultatem, pro. CCCC. Marcis denariorum dictam Curiam redimendi. & Curiam nostram bergyr. in feringaøm propinquam curie supradicte contulimus ecclesie vpsalensi cum omnibus pertinentiis suis perpetuo possidendam in nostrorum remissionem peccatorum.

Sv. Diplom.

65

ita tamen quod curia collata canonie nobis vpsalensi ecclesia canonice assignate perpetuo sit annexa. In cuius rei testimonium & perpetuam firmitatem presentibus sigillum nostrum duximus appendendum. Datum arusii. anno domini. M^o.CC^o.LXXVII. Vniuersis eciam constare uolumus & liquere. quod Curia nostra ecclesie vpsalensi collata, nobis dum uixerimus attineat secundum libitum ordinanda.

Sigillet, hängande i en utklippt remsa, är andeligt (Apostl. Petri och Pauli bilder, m. m.) och mycket skadadt.

621.

1277.

Förbemälte Bæxets Bref om öfverlemnande af Lagmanstorp till BRYNOLF ALGOTSSON.

A. 6. a. 1: 9.

Omnibus in christo fidelibus ad quos littere presentes peruenerint. Benedictus frater regis sweorum jllustris. salutem in domino sempiternam. Quoniam omnium habere memoriam & in nullo errare potius est diuinitatis quam humanitatis. Cvm diuine res perfectissime sint. humani uero juris condicio in infinitum decurrit. & in eo nichil est quod perpetuo stare possit. Hinc ex longinquitate temporis accidit ut regulariter euenire solet. quod que clara & dilucida sunt presentibus. dubia frequenter & obscura sunt futuris. Juxta illud philosophi. que in tempore fiunt cum tempore labefiunt. quibus ex causis mota diligens antiquorum prouidencia contra obliuionis dispendium scripture remedium salubriter adinuenit. ut que geruntur in scriptis redigantur. in scriptis redacta hominum memorie commendentur in futurum ad omnem negligencie & obscuritatis materiam extirpandam. Tenore igitur presencium noscat tam presens etas quam futura posteritas. nos dilecto consanguineo nostro Bryniulpho domini algoti legiferi vesgotorum filio & suis heredibus duas curias nostras dictas lagmanzthorp sitas in parochia de lung cum agris siluis pratis coloniis piscariis & molendino quod est bardhætorp & omnibus aliis pertinenciis mobilibus & immobilibus ex consensu heredum nostrorum mere & libere jure perpetuo rite & legaliter contulisse secundum terre consuetudines approbatas. Dantes eidem. b. & suis heredibus bona suprascripta cum pertinenciis assignatis liberam facultatem donandi vendendi obligandi seu alio quocumque modo alienandi pro sue libito voluntatis. Ita quod tam nobis quam heredibus nostris bona predicta vlllo vnquam tempore in posterum quocumque ingenio repetendi. omnis facultas & occasio subtrahatur. In cuius rei euidenciam plenior. litteras presentes sigillo nostro & fratrum nostrorum duximus sigillandas. ut super donacione tam rite facta omnis negligencie materia subtrahatur tam posteris quam modernis. Datum anno domini M^o.CC^o.LXX^o.VII.

Sigillen: N:o 1, Konungens, hängande i rödt silke, mycket skadadt; N:o 2 saknas.